



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia  
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,  
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

**Canisius, Heinrich**

**Coloniae Agrippinae, 1662**

XVI. De infidelibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

Ubiigitur de frigidityte viri manifestè constare non potest, forma hæc servatur, ut à tempore celebrati matrimonii conjuges per triennium cohabitent & rei conjugalis operam dent: quo elapso, si cum septima propinquorum manu vel vicinorum bona fama (si propinqui defuerint) iurent, tactis SS. Evangeliiis, se commisseri non potuisse quòd tunc à se invicem separari possint, & permitti mulieri ut ad alias nuptias transeat, cap. Laudabilem 5, Ext. De frig. & malef. et quidem ipse vir & mulier iuramentum veritatis præstabunt quòd scilicet bonâ

fide dederint operam copula carnali: Alii vero iuramentum credulitatis quòd credant utrumque verum iurasse, argum cap. Quoties 5, Ext. De purg. Canon. In maleficio idem triennium cohabitationis, eademque iuramenti forma requiritur præter penitentiam, quam ex iudicis præcepto conjuges subire coguntur de peccatis, ut si forte Deus consummationem matrimonii annuat, juxta cap. fin. Ext. de frig. & malef. Vide ibid. Pænormit.

## DE INFIDELIBVS.

## TITULUS XVI.

Inter infidelis verum matrimonium contrahitur, non autem inter fidelem & infidelem.

**T**Ametsi inter infideles, hoc est, qui nondum Christianis sacris initiati sunt, verum & legitimum coactet matrimonium, etiam in secundo consanguinitatis gradu, cap. Gaudemus 8, cap. Quanto 7, Ext. de divort. a non tamen inter fidelem & infidelem, can. Carv. & can. Iudai xxviii, q. 1, Nam, auctore Cypriano, in *Serm. de lapsis*, jungere cum infidelibus vinculum matrimonii, est prostituere eum: gentilibus membra Christi, 2. ad Corin. 6, Et hæc spectat illud D. Pauli: Nolite iugum ducere cum infidelibus: quia enim participatio Christi ad Belial: aut qua pars fidei cum infidelibus si vult, nubat tantum in Domino, 1. ad Cor. 7, Belial. de matrim. lib. 1, c. 2, ex omnium fere Interp. sententia. Hinc ex constitutione Valentin. Theodosii & Arcadii Imperatorum Christianus, si ju-

dæam, vel Judæam, si Christianam in conjugem sibi adfuerit, publico iudicio, instar adulteri, obstringitur, l. Ne quis 5, C. de Iudæis.

Notatio in Tit. 6.

2. ratio est, quia pagani non ligantur SS. Canonibus, cum omnino sint extra Ecclesiam, c. Gaudemus Ext. de divort. Ergo secundum ipsos in gradibus, etiam jure Canonico prohibuit, recte contrahunt matrimonium. Vt & hinc in Iudæis lex Moysaica servatur, non jure Canonico, Covarr. in 4, Decret. p. 2, cap. 6, 5, 1, v. 6, & 7. Neque dissolvitur eorum matrimonium, si postea ad fidem Christianam convertantur, d. cap. Gaudemus, adde & c. fin. Ext. Qui filii sunt legitimi, & §. altera 3, inf. de divortis.

## DE HOMICIDIS, ADULTERIS ET RAPTORIBVS.

## TITULUS XVII.

§. 1. Homicida qui à matrimonio remouentur;

**I**nterdum & homicidium matrimonii contractum impedit & dirimit; eâ specie, quâ quis alterius conjugis potiundi causâ alteri conjugi necem attulit: sitamen utriusque conspiratio, tam superstitis conjugis, quam ipsius homicidæ; in eandem necem simul concutrit, nam unius delictum hæc in re non sufficit, cap. Laudabilem Ext. de convers. infidel.

§. 2. Adulteri remouentur.

Idem est in adulterio; eo casu, quo quis alic-

nam uxorem adulteravit, datâ sponcione de contrahendo cum ea matrimonio, aut etiam matrimonio de facto contracto; nec enim potest eandem, defuncto marito suo, in uxorem ducere, s. fin. c. 3, c. 5, Ext. de eo, qui duxit in matrim. Dum tamen & hic utriusque & adulteri & adulteræ scientis interuenit, quòd videl. sciverit uterque alterius conjugem adhuc superstitem esse. Ceterum si qua errore ducta cum alieno marito, tamquam cum cælibe contraxerit, non prohibetur, defun-